



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quis possit donare? Caput Tertium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

hoc Juramento non revocandi testamentum, & consequenter donationem causa mortis, vide, quæ nos alibi & diximus, & quæ dicemus *b* mox in simili.

11. De donatione causa mortis innumeris Jurisperiti late disputant, innumeriq; Theologi, quorum præcipuos citatos habes præter Onate, & Molina *d* apud Dianam *e* varias de hac dispositione facultates pereurrentem.

Donatio, non subsistente causa ipsius.

Ubi

De simili Eleemosyna, vel Legato.

12. An donatio facta ob aliquam causam, canon subsistente, sit valida?

Respondeo, necessariam esse distinctionem. Donatio enim per errorem facta, quando error cadit in substantialia, est nulla, est autem valida, quando in accidentalia, qui ibi non subsistit causa donandi, quare, nec donatio ab illa dependens, hic vero subsistit. Et ratio ulterior est, quia, non persistente causa cadente in substantialia, donans merito iudicatur, nequaquam persistere in sua dispositione, at vero, non persistente causa cadente in accidentalia, quia sic levis est mutatio, in eadem dispositione merito persistere iudicatur. Vide quæ in simili dixi de Promissione cap. 4. à num. 8.

13. Illud diligenter advertendum, hic, nomine substantialium intelligi omnes illas causas, quæ sunt motivæ Donationis, hoc est, quæ, si cognitæ fuissent non adesse facta non fuisset Donatio: Accidentalibus vero sunt causæ tantum impulsivæ, id est quibus cognitis non adesse, adhuc facta Donatio fuisset.

Hæc breviter innuisse sufficiat; nam multa de hoc argumento ego alibi *f* dixi.

14. Non subsistente paupertate, Sanctitate, infirmitate, an donatarius obligetur restituere ea, ad quæ donanda principaliter notus fuit donans ab his, causis, dixi item *g* alibi, ut etiam alibi de occultè defforata, si aliquid accipiat ex causa Virginitatis.

15. In dubio de animo donantis, an causa donandi fuerint motiva, an impulsiva? restituendum pro rata dubii puto.

CAPUT III.

Quis possit donare?

Donare ii possunt, qui legitime sub suo dominio, vel libera administratione rem donandam habent. Dubitatur autem de aliquibus, de quibus ego alibi per alias occasiones disputavi, quorum loca, in gratiam Lectoris, indicabo infra cap. ultimo.

Alia igitur, quæ supersunt, hic in propria sede suam tractationem merito exposcunt, & ego breviter studiose propinabo.

§. PRIMVS.

Quadam Classes Personarum quid, & quantum donare possunt?

REGES, ET PRINCIPES.

1. **R**eges, & Principes donare quidem & remunerari de suis propriis bonis libere possunt. Verum de Bonis Coronæ, quæ se habent, ut bona vincularia, & ipsis data, ad bonam administrationem, & defensionem Regni non possunt profusè donare in damnum successorum, nam propterea iidem Successores possent revocare has nimis exorbitantes donationes ex prædictis bonis factas: quod minutius, multis adductis Doctoribus, habet Diana, *b* apud quem etiam habes donationem remuneratorem Principis non immo- *h Diana p.* deratam, cum transeat in contractum, revo- *8. r. 6. ref.* cari non posse, eandemque multis gaudere *18. ib. ref.* Privilegiis. *122. & 123.*

2. Illud in his dubitari solet, An, si dicti Reges, ac Principes inveniuntur ære alieno gravati, possint nihilominus donationes liberales, vel remuneratorias facere?

Respondeo, posse, sed certè limitatius. Sicut enim tunc possunt expendere ea, quæ sunt ad suum decentem statum necessaria, ita & ad has liberales, sed moderatas Donationes, quæ ad ejus decentiam sine dubio pertineant, cum non possit (ait *i* Delugo) Regia dignitas sine liberalitatis exercitio decenter sustineri. *i Delug. d. 23. de Just. n. 148.*

3. Ex qua doctrina collige idem cum proportionem sentiendum de aliis Principibus Seculari-

cularibus, immo, & proportionaliter de Ecclesiasticis, aliisque similibus; si enim eas donationes, siue mere liberales, siue remuneratorias facere possunt, quæ, omnibus à viro prudenti expensis, iudicantur pertinere ad ipsorum statuum decentiam, ita nimirum, ut viles notabiliter haberentur, nisi eas facerent: quare, si moderatæ, modo dicto, sint, ut esse certe omnino debent, ad congruam eorundem sustentationem revocantur.

§. II.

Rectores Civitatum, seu Universitatum.

I non solum possunt expendere necessaria ad publicam utilitatem, ut ad conducendum Medicum, Advocatum, Magistrum Artium, ad fabricandum carcerem, ad Pontes necessarios construendos, vias accommodandas, ad procurandam annonam, &c. Verum etiam ad moderatas, juxta quantitatem Bonorum Civitatis, Donationes remuneratorias, immo ad moderatas item, & liberales, conducentes ad bonum Universitatis, qualis est elemosyna, & ad ludos, publicæ recreationis gratia, exhibendos, dummodo à necessariis, & à debitis solvendis notabile quid non adimatur. Lege Sancex, a & Delugo. b

a Sanc. in
consil. l. 1.
c. 6. d. 8.

b Delugo
d. 23. de
Inst. n. 144

c Diana p.
8. tr. 6. res.
16. sine.

2. Illud profecto, quod ex Bartolo assertum Diana, c approbare non possum, quod scilicet, si Rectores hoc anno Civitatem gubernantes, non remunerati sunt obsequium Universitati factum ab aliquo, nequeant Rectores anni sequentis remunerari, quia remuneratio (inquit Bartol.) est personalis ex parte remunerantis. Approbare, inquam, non possum, nam Rectores siue hujus, siue alterius anni non agunt nomine proprio; sed nomine Universitatis, seu Civitatis, quæ semper est, & remanet eadem persona moralis, &c.

§. III.

Parentes.

Parentes, quamvis multos habeant filios, licite ea possunt donare, quæ pertinent ad decentiam sui status. Si vero ea, quæ ad ejusmodi decentiam non pertinent, profuse donent, valide donant, quia disponunt de

re sua, sed illicitè, si notabiliter damnum faciant legitimis filiorum. Valide, inquam, donec filii revocent, nam filios posse donationes Parentum in suæ legitimæ præjudicium factas irritare per Judices post Parentum mortem, mihi certum est, & videri potest apud Rebell. d. arque in nostro Decal. e

2. Quando donationem facit Pater Filio Clerico in fraudem Gabellarum, probat ibidem Diana, f adhuc Gabellam debent, sed deinde quæstionem irresolutam relinquit. E. e. L. 1. m. go sanè in memoriam tibi revoco, nemini debere hanc fraudem in foro interno suffragari, nam in foro externo: cum delictum fraudis non præsumatur, evinces litem contra Gabellarios. Quod si Pater vere, & sine fallacia ex occasione quidem non solvendi Gabellam, sed ex alio decenti motivo, suum Clerico Patrimonium assignet, non mihi videtur, esse condemnandus.

3. Quid de Donatione Paris facta Filio ad ordines suscipiendos? Id hic solum quaero, nam ceterum de Donatione, quam Pater, vel Mater faciat Filio universaliter, alibi g. d. c. t. m. est.

Respondeo, Pater non solum valide potest, sed etiam obligatur dare filio, quod est necessarium ad assumendos Ordines Sacros. Intellege semper, si suppetant Patri facultates, &c. An item ad Ordines Minores & alia minoriora erudite tractat Cutelli. b Data autem à Patre in Patrimonium, ut filius Ordines suscipiat, multi apud eundem Cutelli dicunt, computari in legitimam, & venire in computationem cum aliis fratribus. Multi apud eundem negant. Utrumque probabile, id quod nos alibi satis explicuimus. i

4. Donatio ficta à Patre, ut item à quocunque alio ficta, filio, vel cuicumque alteri facta, hoc est, ut sequuta ordinatione, non peccantur sic donata, vel, ut illa, ordinatus restituere teneatur, adhibita etiam, ut solet, Anapoca, vel, ut vocare consuevimus, Alberano, quatenus invalida sit, & illicita, dixi supra, cum de k Ordine.

§. IV.

Prælati, sive Saculares, sive Regulares.

1. **P**rælati Sæculares possunt, juxta prædicta, donare, quæ faciunt ad decentiam status ipsorum. Verum de his dictum est à nobis alibi.

Et hi quidem Prælati Sæculares de fructibus sui Beneficii magis liberè, possunt disponere, juxta id, quod ibidem breviter explicuimus, quam Prælati Regulares, id est, Superiores Religiosorum, quia fructus omnes sunt Religionis, non vero ipsius Regularis Prælati. Quare magis moderatè se gerere ii debent in iis donationibus, præsertim liberalibus, quæ Religiosam paupertatem minus decent. Qui de his distinctius quid noscere velit, legat Sanch. b aliosque.

2. Dixi (Superiores Religiosorum) nam de Episcopis assumptis à Religionibus, quæstio est, an ii possint, quamvis illicitè, validè tam donare ea, quæ supersunt ab ipsorum congrua sustentatione. Et quidem non pauci dicunt, hos semper donare prædicta, quæ supersunt, tum illicitè, tum invalidè. Alii verò sustinent, illicitè quidem, sed validè, eodem præfuso modo, quo loco citato diximus de Episcopis non assumptis à Religionibus. Quoniam verò utramque ex his sententiis probabilem existimamus, satis sit sic innuillè, Rationes enim, & Doctores pro utraque parte videri poterunt apud Dianam & citantem Vadignum, idem de Beneficiario Religioso sentientem.

§. V.

Donatio Beneficiarii spolio subditi.

1. **A**N Donatio Episcopi, & Clerici Beneficiarii subditi spolio intra viginti dies ante obitum suum facta sit invalida?

Respondet, esse invalidam in foro externo quia præsumitur facta in fraudem. At in foro interno & dico, esse validam, si verè fuit Donatio inter vivos de rebus, seu de fructibus suis, de quibus juxta supradicta disponere validè Beneficiarius poterat. Ratio est manifestata, quia Beneficiarius tunc habet potestatem.

Tamburinus de Sacramentis.

statem transferendi dominium illarum rerum in alterum, & de facto per illam Donationem verè, & sine dolo, ut supponimus, transtulit.

§. VI.

Novitius.

1. **A**N Donatio causa mortis facta à Novitio post ingressum in Novitiatum sine licentia Episcopi sit valida.

Respondet, esse validam, quia f Tridentinum hanc licentiam requirit in Donatione inter vivos dumtaxat.

2. An, ut Donatio remuneratoria ab eodem Novitio post dictum ingressum fiat, eadem licentia indigeat?

Respondet, non indigere quia Tridentinum loquitur de Donatione pura.

3. An Donatio facta ab aliquo ante ingressum in Novitiatum, animo ingrediendi in Religionem sit valida sine memorata licentia?

Respondet, esse validam, h quia dictum h Tridentinum loquitur solum de Donatione Novitii, at hic Novitius nondum est.

4. Nota, si prædictus Novitius exeat à Religione, nullam esse Donationem ante ejusmodi ingressum factam, resque donatas debere redire ad Donantem, quia Donatio facta intuitu Religionis, semper imbibit conditionem, Si in Religione vixero. Unde idem rectè Cutelli i excedit ad casum, quo ipse Donans exeat à Religione post professionem emissam, quam nullam ex aliquo legitimo capite forte invenit. Si verò exeat post Professionem validam licitè per dispensationem Papæ, verbi gratia, An recuperet prædicta bona ante ingressum donata, longa est, & Jurisperitorum propria disputatio. Vide Cutellum citatum, apud quem etiam invenies quid de exeunte à Societate, post vota biennii.

f Trid. sess. 25. c. 16.
Diana p. 8. tr. 6. ref. 86. ubique alii.

g Id. m. ib. ref. 121.

h Idem ib. ref. 87.

i Cutelli de Donat. T. v. disc. 2. part. 3. à nu. 11. Latè Sanc. l. 7. summ. c. 5. à nu. 54.

§. VII.

Tutores, & Curatores.

1. *Sancho. c. 8. consil. c. 6. d. 8. Delugo d. 23. de iust. nu. 145. Molin. d. 92. sine.* **T**utores, & Curatores ex *Sancho. & aliis* que possunt solum id donare, quod ad prudentem, & decentem administrationem rerum pupilli pertinent, spectata ipsorum pupillorum facultate, & qualitate. Unde Donationes liberales profanas vix his concedo, concedo pias; Sunt enim hæc in eleemofynam, atque aded in bonum salutis pupillorum, sed adhuc juxta ipsorum statum.

Nec item nego remuneratorias, sed pari modo, quæ non multum excedant. Ratio horum est, quia Tutores, Curatoresque minus possunt, quam Domini suarum rerum; at Domini, si prudenter, & decenter agant, sunt certe parce profusi in rebus suis; ergo parcius profusi esse debent Tutores, & Curatores, qui Domini non sunt, sed meri bonorum pupilli Administratores.

2. Inquires. Cum remuneratoria Donatio sit illa, quæ sit supra debitum Justitiæ, quantum nam hæc importat in hoc casu Tutorum? Servivit v. gr. fideliter quis pupillo per decem annos, debentur ipsi ex stipendio pro suo labore centum aurei: at, si Tutor solum daret centum, nihil daret ex gratitudine, sed solum ex justitia. Inquires ergo ad quantum extendi potest remuneratio?

3. Respondeo. Id certa regula definiri nequit, quia totum hoc (ait *Delugo b*) pertinet ad prudentiam Administrationis rerum pupilli, ut ex una parte non sit nimis profusus, & ex alia non sit durus, & exactus retributor obsequiorum, sed attendat ad id, quod decencia status pupilli exigit, ut cum famuli ingrati tudinis nota afficere non possint.

CAPUT IV.

Quantum quis donare possit?

1. **P**ræscindendo à Jure Civili, quod certè prohibet, ut mox dicemus, aliquas Donationes, quilibet validè potest totum, quod habet, alteri donare, quia quilibet de rebus suis disponere, ut liber, potest. An vero licitè, vel illicitè dependet à fine,

cur donet, à damno, quod sibi, vel alteri facit, vel non facit, sic donando, &c. quæ ex dictis, & dicendis facile colligi possunt. At considerando Jus commune, duo genera Donationum ipsum universali ter prohibet, nimirum Donationem omnium bonorum, & Donationes carentes insinuatione, de quibus jam sigillatim.

§. I.

Donatio omnium bonorum invalida est.

1. **H**anc tam amplam Donationem esse in Jure Civili prohiberam sub clausula irritante, atque aded esse invalidam, certum est in Jure, & apud Julium d'Clarum, aliosque. Ratio hujusmodi Juris fuit, quia sic Donator non posset testari, à qua impotentia testandi Jura maximè abhorrent signatèque dicunt esse id contra bonos mores.

2. Dicitur autem est (*inter vivos*) nam Donatio omnium bonorum causa mortis prohibita non est, cum ea potestatem testandi non tollat; immò, ipsam esse ultimam voluntatem nuper diximus.

3. Dicitur rarius est (*In jure communi*) nam leges proprias quisque consulat. Dicitur item est (*omnium bonorum*) nam, si sit non omnium, sed tamen prodiga, dixi satis è alibi.

4. Quæres. Donatio bonorum omnium estne invalida secundum totum, an solum secundum partem? Explico. Facite donasse omnia tua bona, ex quibus, si centum aureos tibi reservasses, jam non donasses omnia bona. Quæro igitur, an Donatio omnium, quem fecisti, sit invalida, tum, quoad hos aureos centum, tum, quoad alia bona? Idem quæri potest, si donasti omnia præsentia, & futura, an valeat etiam quoad præsentia; jam enim, si præsentia non donasses, non donasses omnia.

5. Respondeo, esse invalidam, quoad utrumque. Rationem hujus Decisionis ne aliam exspectes, nisi illam, quia nimirum, ita leges voluere, quia absolute totam Donationem indivisibiliter infirmant, ut parebit accuratè legenti præcitas leges.

6. Dices: At mox dicemus, Donationem factam sine solennitate Insinuationis solum infirmari, quoad partem, id est, quoad excelsum,